

Sic quoque Tu tenuis firmato corde favorem,
Qui queat esse oculis forte Medusa Tuis.
Ipse silex fis, sed signatus imagine Christi,
Reddere ne silicem Te fera forma queat.
Ehei! quam paucos sub sera crepuscula Mundi
Cordatos numerant templa scholæque viros.
Plurima pars vultu pendet suspensa potentium
Pallida, & omne nefas, quo juvet ire, probant.
Nec procerum culpas, nec pulcra crimina plebis
Mentiti sistunt orba colore boni.
Ut flos a Phœbi cognato sidere dictus
Adverso sequitur vertice solis equos:
Ac jam mane novo rubicundos vertit ad ortus,
Jam videt Hesperias, Sole cadente, fores:
Sic hi Vertumni pendent ex numine vulgi,
Ac lege obsequii sacra fidemque colunt.
Si pretium Veri studio statuatur honestum,
Heroo Verum pectore & ore gerunt.
At si Causa Dei duras offenderit aures,
Ne collecta labet gratia, Vera premunt.
Non ita Tu, cum vis cœlestes calcas honores,
Deque fide summi consulit usque Dei.
Spesque leves fluxæque minæ laudesque minutæ
Sunt momenta animis inferiora Tuis.
In Te certat amor recti cum lumine mentis,
Fert Tibi nobilius dos bene juncta decus.
Felicis cœtus, qui Te, facunde, docente
Æterni discunt jussa verenda Dei!